

Hujus feveritatis triplex fuit causa; 1<sup>o</sup>. quia viduæ ad nova citius properantes conjugia, fidem suis viris datam parùm revereri, eorumque mortem non satis dolere videntur; 2<sup>o</sup>. quia id alienum censebatur à caritate liberis ex priori connubio susceptis debitâ; 3<sup>o</sup>. *propter turbationem sanguinis.* ( *lib. 3. digest. tit. 2. leg. 2. §. 1.* ) Periculum enim esset ne vidua novas celeritùs nuptias contrahens, posteriori marito daret hæredem qui ad priorem virum pertineret; vel ne filium posthumum genuini patris hæreditate exneret.

In Gallia jus canonicum sequimur, quo viduis denud nubere permittitur, etiã nondùm expleto luctûs tempore. Quædam enim sunt circumstantiæ, in quibus urget nubendi necessitas, quando, v. g. vidua possit conjugis obitum negotiis implicatur, ex quibus sine mariti subsidio sese extricare non potest. Verùm inter viri mortem & Matrimonium cum altero, idoneum temporis spatium intercedat oportet, ut constare possit viduam ex prioris mariti factio non esse prægnantem. Parochos monet Rituale Sueffionense, ut viduas ad nova non admittant conjugia, nisi postquàm sat temporis effluxerit, ut comperit habeatur eas non esse gravidas: Rituale Autissiodorense sex menses constituit.

---

## CAPUT II.

### De Matrimonii firmitate.

**D**E Matrimonii firmitate jure divino sancitâ sic differit Concilium Tridentinum: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de*

carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una .... *Ejusdem nexûs firmitatem ab Adamo tantò antè pronuntiatam, his verbis confirmavit Christus Dominus: Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* ( *Seff. 24. in præmio de Matrim.* )

Ut faciliùs intelligantur quæ postea dicturi sumus, observandum est Matrimonii dissolutionem, aliam dici *propriam* quâ conjuges priori libertati ita restituantur, ut alias possint nuptias contrahere, eamque vocari *dissolutionem quoad vinculum*; aliam verò *impropriam*, sive divortium, quâ scilicet conjuges vel à reddendi debiti obligatione sunt immunes, & appellatur *dissolutio quoad thorum*; vel à necessitate simul habitandi eximuntur, & tunc nuncupatur *dissolutio quoad habitationem*.

Quinque hic occurrunt excutienda; primum an Judæorum Matrimonia per libellum repudiî verè proprièque solverentur; secundum utrùm conjugia infidelium dissolvi aliquandò possint; tertium an Christianorum Matrimonia per adulterium; quartum an per Religiosam professionem dirimantur; quintum utrùm & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & habitationem solvi possit.

---

## ARTICULUS I.

*An Judæorum Matrimonia per libellum repudiî propriè & quoad vinculum conjugale solverentur.*

Judæis permissum fuisse uxores suas repudiare constat ex istis Deuteronomii verbis: *Si acceperit homo uxorem, ... & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam sæditatem, scribet libellum repudiî, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* ( *cap. 24. v. 1.* ) Hunc libellum

solus dare poterat maritus. Viris enim tantum uxores repudiare permissum erat, non uxoribus viros. Necessè etiam fuit, teste Augustino, ut à scribis publicis exararetur, quorum partes erant judicare utrum justæ, an injustæ forent repudii causæ. (*Lib. 19. contra Faustum, cap. 26. tom. 8. pag. 328.*) Debuit præterea dari ex gravi & legitima causa quæ generatim nomine *scditalis* exprimitur.

Numquid autem libello repudii solvebatur vinculum conjugale? Circa quæstionem hanc duas in partes distrahuntur Theologi. Alii docent repudium à Deo fuisse Judæis permissum, non tanquam rem licitam, & quæ sine culpa fieri posset; sed veluti minus malum quo graviora vitarentur; ne videlicet mariti cum uxoribus sibi odiosis durius agerent, vel etiam eas occiderent. Ideo statuunt per libellum repudii non dissoluta fuisse apud Judæos Matrimonia quoad vinculum. Ita S. Hieronymus, S. Bonaventura, Sylvius, Juvenius, Drouin, Berti & alii plurimi. Non pauci verò contendunt repudium licitum & sine culpa fuisse, ita ut nexum conjugalem prorsus abrumperet, & licentiam daret ad nova transeundi Matrimonia. Ita sentiunt Bellarminus, Sanchez, Tournely, &c.

Cum autem hinc & inde graves afferantur rationes, utriusque partis argumenta sic exponemus, ut de illa controversia nihil firmus pronuntiatum.

*Argumenta Theologorum qui docent libello repudii non dissoluta fuisse quoad vinculum Judæorum Matrimonia.*

Probant 1º. ex istis Deuteronomii verbis: *Cumque egressa mulier (post acceptum libellum repudii) alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est,*

*& abominabilis facta est coram Domino: (cap. 24. v. 2. & seq.)* atqui non aliam ob causam *polluta & abominabilis* dicitur illa mulier, nisi quia secundæ illius nuptiæ, vivente adhuc priori marito, & stante primi Matrimonii vinculo, non erant legitimæ, sed vera adulteria; ergo, &c.

Respondent alii in textu hebraico & 70 interpretum versione ita legi: *Quia abominatio hoc est coram Deo; id est, actio prioris mariti uxorem à se dimissam, & quæ alii viro nupserat, recipientis, abominandum est scelus coram Domino; quia scilicet non videtur eam sincerè repudiasse, verum ad tempus duntaxat ipsam alteri viro commodasse: quod fictum est divortium, & verum adulterium.*

Probant 2º. ex eo quòd Jeremias Israelitas qui verum Deum per idololatriam deseruerant, mulieri comparaverit quæ, vivente viro, necdum resoluta prioris Matrimonii vinculo, ad secundas nuptias transiit. *Vulgò dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit alterum, numquid revertetur ad eam ultrà? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. (cap. 4. v. 1.)* Porro ibi Jeremias pollutam & contaminatam vocat mulierem, quæ à viro suo dimissa nupsit alteri: numquid virò ita loqueretur, si libello repudii ruptum fuisset vinculum conjugale?

Reponunt alii tempus futurum erit, quod adhibet Jeremias, satis indicare hic non agi de crimine quod commiserit mulier repudiata, dum alteri nupsit; verum de peccato cujus ream se præberet, si priorem ad maritum reverteretur, postquam eorum connubium divortio solutum fuit, & mulier dimissa novum cum altero viro connubium inivit. Quo in casu contaminata esset propter rationem supra expositam.

Probant 3º. ex Christi responsione ad Phariseos. Sic enim interrogant: *Quid ergo Moyses mandavit?*

dare libellum repudii, & dimittere uxorem? respondet Christus: *Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* ( *Matth.* 19. v. 7. & 8. ) Porro, inquit, quod propter duritiam cordis duntaxat permillum est, sine peccato fieri nequit: atqui repudium Judæis non permillum fuit, nisi ob duritiam cordis; ergo citra culpam non erat, nec proindè matrimoniale vinculum solvebat.

Respondent oppositæ sententiæ patroni, quædam posse ad duritiam cordis concedi, quæ tamen sine peccato fiant. Exempli gratiâ, Ecclesia jejunii severitatem temperans, cœnulam vespertinam permisit fidelibus ad duritiam cordis: nullus tamen illius usum dixerit illicitum. *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quod quamvis duritia cordis non excusaret à peccato, tamen permissio ex duritia facta excusât. Quædam enim prohibentur sanis quæ non prohibentur infirmis corporaliter; nec tamen infirmi peccant, permissione sibi factâ utentes.* ( *In 4. dist. 33. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4.* )

Probant denique ex S. Hieronymo & S. Augustino. Ilte, commemoratâ Gentilium consuetudine, qui repudio utebantur absque ullâ legis humanæ pœnâ impositâ, sic habet: *Cui consuetudini simile aliquid propter Israëlitarum duritiam videtur permisisse Moses de libello repudii: qua in re exprobratio, quàm approbatio divortii magis apparet.* ( *De bono conjugali, cap. 8. n. 7.* ) itaque sicut duobus (maritis) pluribusve servire, sic à viro vivo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit. ( *Ibid. cap. 18. n. 21.* )

*Argumenta Theologorum qui affirmant libello repudii apud Judæos verè solum fuisse vinculum conjugale.*

Probant 1<sup>o</sup>. ex textu Deuteronomii jam prolato. Ibi Scriptura eum cui mulier dimissa nupsit, *maritum* appellat, *cumque egressa alterum maritum duxerit*: At nisi dissolutum supponeret Scriptura prius Matrimonium, quomodo eum cui mulier repudiata nupsit, *maritum* vocaret, qui in adversariorum sententia propriè maritus non fuisset, sed adulter? cur etiam prohiberet ne prior maritus uxorem reciperet ad eum redeuntem, si ipsius uxor post repudium esse non desisset? Non vetandum profecto erat, sed potius optandum ut conjux ad suum verum & legitimum maritum rediret.

Probant 2<sup>o</sup>. qui fieri non potuit ut adulteria publica toleraverit divina lex, *lex sancta & immaculata*, qualem fuisse Mosaicam nemo dubitaverit: atqui tamen nefandum illud crimen tolerasset, si libellus repudii matrimoniale vinculum non solvisset: conjux enim ab uno dimissa, palàm alteri nubebat.

Præterea, inquit, quis concipiat nec Moysen, nec Prophetas, qui tot alia longè minùs gravia tam severè carpebant, nunquam veluti adulteria corripuisse Matrimonia cum mulieribus repudiatis? atqui tamen nullibi legitur hæc conjugia tanquam adulteria fuisse ab iis reprehensa; certum est igitur uxoris dimissæ cum alio viro nuptias non fuisse adulterinas; ergo nexum conjugalem solvebat libellus repudii.

Respondent alii immeritò dici hujusmodi nuptias nunquam fuisse à Prophetis reprehensas, cum Jeremias *pollutam & contaminatam* dixerit mulierem, quæ à viro suo repudiata alteri nupsit. Quòd ita frequentes non fuerint hujusmodi objurgationes, inquit, in causa fuit Judæorum obstinatio, quam

fuis exprobrationibus non frangendum prævidebant Prophetae.

Probant 3<sup>o</sup>. quia si absque peccato non potuisset mulier repudiata alteri nubere, multò durior, ne dicamus iniqua, fuisset uxorum, quàm virorum conditio. Vir enim, rejecta priori conjugè, aliam, vel etiam plures, ducere potuisset; si quidem tunc licitum erat plures habere uxores: contra verò feminæ, quæ tamen viris sunt infirmiores, toto vitæ decursu cœlibem vitam agere coactæ fuissent: nunquam enim mulieri licitum fuit plures simul habere viros: porrò tanta conditionis disparitas videtur injusta.

Probant 4<sup>o</sup>. Sacerdotibus tantùm prohibetur ne mulierem ducant *quæ repudiata est à marito*; (*Levit. 21. 7.*) id ergo aliis fas erat.

Reponunt oppositæ sententiæ defensores, Sacerdotibus non fuisse permisa quæ in aliis tolerari poterant, quia in sublimiori gradu erant constituti, sive, ut eodem in versu legitur, *quia consecrati sunt Deo suo*.

Probant 5<sup>o</sup>. quia nisi repudio solum fuerit vinculum conjugale, tunc mulieris dimissæ cum alio viro conjunctio verum erat adulterium, & ambo pœnæ mortis fuissent obnoxii. *Si mæchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit eum conjugè proximisui, morte moriantur & mæchus & adultera*: (*Levit. 20. 10.*) atqui tamen nedùm conjunctionem hanc tam durè lex tractaverit, secundo viro tribuit & nomen & jus mariti: *Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque . . . dederit ei libellum repudiij, cujus tamen tradendi facultas non pertinebat nisi ad verum maritum*. Lex proindè verum Matrimonium non minùs agnoscit in posteriori casu, quàm in priori.

## ARTICULUS I.

*Utrum Matrimonia Infidelium dissolvi possint.*

Apud omnes certum est valida esse Infidelium Matrimonia quæ juxta juris naturalis, & Principum quibus subjacent, leges contrahuntur; 1<sup>o</sup>. quia aliter Matrimonia quæcumque extra fidem Christianam facta, mera essent stupra, quod nemo dixerit; 2<sup>o</sup>. quia nisi res ita esset, infidelis ad fidem conversus, cum uxore infideli nunquam commorari potuisset: atqui id potuit Apostoli tempore: *Si quis frater, inquit, habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* (*1. Cor. 7. 12.*)

Disputatur verò utrùm, cum unus conjugum ad fidem convertitur, alter autem in infidelitate contumaciter permanet, dissolvi possit Matrimonium, ita ut novum contrahendi conjugium libera fiat potestas. Alii contendunt illud triplici in casu licitum esse; 1<sup>o</sup>. si infidelis renuat converti, velitque discedere; 2<sup>o</sup>. si infidelis nolit cum altero conjugè simul habitare, sine contumelia Creatoris; si, v. g. ejus nomen sine despectu non audiat, ejus laudes prohibeat, vel domesticos hortetur ut à fide deficiant; 3<sup>o</sup>. conjugem ad peccatum mortale pertrahat. Matrimonium verò ab infidelibus legitime contractum, nunquam dissolvi posse alii docent Theologi, qui numero quidem vincuntur, sed rationum momentis prævalere videntur.

## P R O P O S I T I O.

*Matrimonium ab Infidelibus legitime contractum, nunquam dissolvi potest quoad vinculum; ne quidem si, alterutro conjugè ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere.*

## ARG. I. Ex Scriptura.

Scriptura Matrimonium quodlibet legitime contractum declarat prorsus indissolubile. Cum enim Pharisei Christo malignè insidiantes, eum sic interrogassent: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* Christus matrimonialem contractum ad primam suam institutionem revocans, sic respondet: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. (Matth. 19. 6.) Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit; & si uxor dimiserit virum suum & alii nupsit, mæchatur. (Marc. 10. v. 11. & 12.)* Atqui illæ Christi sententiæ generales sunt, nullamque exceptionem patiuntur: *Dominus, inquit Augustinus, nulla exceptione factâ, dicit: si uxor, &c. (Lib. I. de adulterinis conjug. cap. 25. tom. 6. pag. 403.)* Ergo Matrimonium quodcumque, ac proinde infidelium, legitime contractum, teste Christo, prorsus indissolubile est.

Præterea Apostolus sic docet: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri; igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. (Rom. 7. v. 2. & 3.)* Porro qui asserit matrimoniale vinculum non nisi per mortem abrumpi, & quidem nullâ exceptione factâ, certè non existimat infidelium conjugia dirimi posse, ubi, alterutro conjugè ad fidem converso, renuit alter cum eo pacifice vivere: atqui sine ulla exceptione pronuntiat Apostolus, &c. ergo, &c.

## ARG. II. Ex Patribus.

Tertullianus docet, juxta S. Pauli mentem, 1<sup>o</sup>. infidelem qui Religionem Christianam amplectitur, teneri in ea conjunctione permanere, quam ante suam conversionem inierat, etiam si ipse uxor in idolorum cultu contumaciter perstaret; 2<sup>o</sup>. Religionis mutationem non esse causam rumpendi vinculi conjugalis legitimam: *Offendit (Paulus) jam in Matrimonio agentem mulieres infidelis, mox gratiâ Dei conversum, perseverare cum uxore debere; scilicet propterea ne qui fidem consecutus, putaret sibi divertendum esse ab aliena jam & extranea quodam modo femina. (Lib. 2. ad uxorem, cap. 2. pag. 167.)* Hanc doctrinam ex eo deducit, quòd Christus divortium ita prohibeat, ut non excipiat nisi adulterii casum, in quo etiam stat servandæ continentiæ necessitas. *Divortium prohibet (Christus) nisi stupri causâ, continentiam verò commendat; (ibid.)* Tertullianus igitur ab ea opinione erat remotissimus, quæ infideli converso licitum facit ad novas transire nuptias, cum ab altera conjugè infideli deseritur.

S. Hieronymus, post memoratum versiculum 39 capitis 7. 1. Epistolæ ad Corinthios, ita distulit: *Omnes igitur causationes Apostolus computans, apertissime definivit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupsit .... quando vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitius omnibus coopertus; & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet; nec Apostolus hæc propriâ auctoritate decernit, sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio: qui dimiserit uxorem suam, &c. (Epist. ad Amand. tom. 4. part. I. pag. 162.)*

Numquid atrocissima quæ ibi recenset Hieronymus crimina, minus sunt Creatori contumeliosa,

& magis excusatione digna, quam error infidelium: atqui tamen horrenda hæc scelera non esse justam solvendi Matrimonii causam asserit S. Doctor; ergo non censuit posse unquam vinculum matrimoniale propter alterutrius conjugis infidelitatem abrumpi; at illud esse ex lege divina prorsus indissolubile sine ulla exceptione declarat; si quam novisset, illius profecto ibi meminisset.

Deinde S. Hieronymus hæc Apostoli verba explicans, *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, inde concludit fidem nunquam esse inter duos conjuges justam dissidii causam, quia Christus in terras venit, pacem non discordiam allaturus; *Habebas uxorem cum credidisti, noli fidem Christi putare causam dissidii, quia in pace vocavit nos Deus: (lib. I. contra Jovinian. tom. 4. part. 2. pag. 154.)* atqui si fides Christi causa dissidii esse non debeat, quanto minus erit dissolvendi vinculi conjugalis justa ratio!

S. Augustinus: *Sicut, manente in se Sacramento regenerationis, excommunicatur cujusquam criminis reus, nec illo Sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Deo; ita, manente in se vinculo forderis conjugalis, uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. (Tom. 6. pag. 406.)* Comparationem hanc adhibet S. Doctor, tum in Tract. de conjugii adulterinis; (*Lib. 2. n. 4.*) tum in Libr. de Nuptiis. (*num. II.*) Itaque, juxta S. Augustinum, non magis dissolvi potest vinculum Matrimonii, quam amitti Sacramentum Baptismi: atqui Sacramentum Baptismi semel acceptum amitti nequit; ergo nec dissolvi Matrimonii vinculum, nisi alteruter conjux mortuus fuerit.

Idem Doctor asserit infidelitatem quam *fornicationem spirituales* vocat, justam esse non posse causam cur alter conjux fidelis ad novas transeat nuptias: *Propter quodlibet fornicationis genus, inquit, sive*

*carnis (id est adulterium), sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro, non licet alteri nubere, & dimissa uxore, non licet alteram ducere; quoniam Dominus, nulla exceptione facta, dicit: Si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur; & omnis qui dimittit uxorem, & ducit alteram, mœchatur. (Lib. I. de conjugii adulter. cap. 25. tom. 6. pag. 403.)* Porro illud juxta esse non potest dissolvendi Matrimonii causa, propter quod nunquam licet novum inire conjugium: atqui, judice Augustino, propter conjugis infidelitatem, nunquam alteri conjugi licet novum inire connubium; ergo infidelitas, teste S. Doctore, justa esse non potest dirimendi Matrimonii causa, postquam legitime contractum fuit.

Denique, ut alios Patres omittam, S. Basilus ita docet: *Ab infideli viro non jussa est mulier separari, sed propter eventum incertum remanere. Quid enim scis, mulier, an virum sis salvum factura? Quare quæ reliquit est adultera, si ad alium virum accessit, Quinetiam adulteram dicit uxorem fidelem, si à marito infideli deserta nuberet alteri: Si vir qui ab uxore discessit, accessit ad aliam, est ipse adulter quia facit ut ipsa adulterium committat, (alteri scilicet nubendo) & quæ unà cum ipso habitat, est adultera quia alienum virum ad se traduxit. (Epist. 188. ad Amphilochem. canonic. I. can. 9. tom. 3. pag. 274. edit. Benedic.)* S. igitur Basilus longè aliter sentiebat, quam adversarii qui putant, si maritus infidelis discesserit, uxorem fidelem à conjugali nexu esse expeditam, & vice versa.

### ARG. III. Ex Rationibus Theologicis.

1º. Ut legi universali disertisque verbis enuntiate quædam opponatur exceptio, ista non minus saltem perspicua sit, quam lex ipsa, necesse est: atqui ex lege generatim & apertissimè à Christo

constituta, indissolubilis est conjugalium viri & mulieris conjunctio: contra verò quidquid huc usque diximus probat saltem maximè dubium esse, an casus particularis de quo disputatur, à lege generali excipi debeat; ergo, &c.

2°. Quamvis S. Matthæi de adulterii casu textus longè plus difficultatis habeat, quàm textus S. Pauli de infidelium conjugiiis; quamvis Orientales & generalior Græcorum doctrina, viro ab uxore propter adulterium sejuncto permittant novas contrahere nuptias, Ecclesia tamen Latina, Christi indissolubile esse Matrimonium generatim pronuntiantis autoritate freta, constanter adversus Græcos statuit, adulterio non dirimi nodum conjugalem: numquid ergo verisimile est Ecclesiam Latinam ab isto principio recessisse in exponendo S. Pauli textu, cujus tam apertus est sensus?

3°. Primis Ecclesiæ sæculis sæpè contingebat ut ex duobus conjugibus alter fidem christianam amplecteretur, dum alter in errore perstaret. Inter conjuges autem à fide alienos, plurimi profectò conjugem ad Religionem Christianam conversum deseruerunt: atqui tamen duodecim priora Ecclesiæ sæcula nullum offerunt exemplum conjugis fidelis, qui à conjugem infideli derelictus ad novas transierit nuptias. Historici qui facta vel levissima, & circumstantias vel minutissimas prolixius referunt, nullum hujusmodi factum memorant: si tamen usus ille in Ecclesia tùm obtinuisset, quis concipiat nullum ipsius extare vestigium in monumentis historicis, in disciplinæ decretis, in Patrum scriptis?

4°. Matrimonia infidelium, quando unus conjux ad fidem convertitur, & renuit alter cum eo pacificè & sine contumelia Creatoris habitare, non magis dissolvi possunt quoad vinculum, quàm Matrimonia fidelium, cum alter conjugum in hæresim labitur, nec vult pacificè & sine Creatoris injurià cum alio conjugem vivere: par enim

est ratio, eademque occurrunt incommoda; siquidem ex patre conjugis hæresim lapsi, maximè pertimescendum est, ne fidei quam deserit sit contumeliosus, & alteri conjugi imminet periculum lapsus & subversionis: atqui tamen illud posterius Matrimonium dissolvi non potest quoad vinculum, fatentibus adversariis; sed tantum quoad thorum & habitationem; idem ergo sentiendum est de Matrimonio infidelium, cum alter conjugum fidem amplectitur.

5°. Adulterium magis pugnat cum Matrimonio, quàm infidelitas: manifestum est enim primaria Matrimonii officia posse ab eo qui Deo non credit, impleri: atqui tamen docent adversarii per adulterium dissolvi nunquam posse Matrimonium quoad vinculum; ergo idem de infidelitate fateantur necesse est.

#### Solvuntur objecta.

Obj. 1°. Sic docet Apostolus: *Quòd si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror, in hujusmodi.* (1. Cor. 7. 15.) Ergo, teste Apostolo, conjux ad fidem conversus, à servitute, id est, à vinculo Matrimonii liber fit & expeditus, si conjux alter infidelis propter Christianæ Religionis odium recesserit.

Resp. Neg. conseq. Ibi enim non agitur de dissolutione Matrimonii propriè dicta, sive quoad vinculum, sed de impropria tantum, nempe quoad thorum & habitationem, Apostolique verba ad eum sensum revocanda sunt: si conjux infidelis discesserit, alter ad fidem conversus, non tenetur tanquam servus eum sequi & sese eò transferre, quò sese recipere libuerit conjugi qui in infidelitate permanet. Adversariorum autem interpretatio malè cohaeret cum aliis Apostoli locis, in quibus generatim pronuntiat solà alterutrius conjugis morte dissolvi Matrimonium. Discessionem de qua

loquitur Apostolus, sic interpretatur doctissimus Lanfranc Archiepiscopus Cantuariensis, qui obiit anno 1089: *Quod si infidelis vir, vel mulier, discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, id est, non cogitur sequi infidelem.* (In 1. ad Cor. 7. 15.)

Non desuerunt etiam post Gratiani aetatem Theologi, qui nostram de infidelium Matrimonii doctrinam defenderint. Sic Cardinalis Caietanus qui obiit an. 1534, & suos in Scripturam commentarios Clementi VII Papae dedicavit, Apostoli verba de mera discessione intelligit. Statuit ubi locum habet haec separatio, integrum nihilominus stare vinculum conjugale.

Doctissimus Petrus Soto in Concilio Tridentino, cui maxima cum laude interfuit, Caietani interpretationem strenuè propugnavit, eaque solâ genuinum Apostoli sensum exhiberi contendit. Apostolicum de quo controvertitur textum, de sola corporum separatione, non verò de Matrimonii dissolutione, esse exponendum probavit. Ita narrat Fra-Paolo (*Hist. Concil. Trident. lib. 7.*) Nullum quidem sacra Synodus fecit decretum Gratiani sententiae contrarium; sed nullum etiam quo firmaretur condidit. Porro si Patres Tridentini in doctrina quam defendimus aliquid deprehendissent, quod fidei adversaretur, eam procul dubio damnaissent, quandoquidem in ipso Concilio propugnata fuit.

Obj. 2<sup>o</sup>. Matrimonia quae minus habent firmitatis, quam Christianorum conjugia, dissolvi possunt quoad vinculum: atqui infidelium Matrimonia minus, &c. ut pote sine Sacramento facta; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Christus enim in loco supra laudato verba facit ad Judaeos de suis Matrimonii eum interrogantes, ac proinde loquitur etiam de conjugis in Synagoga, & sine Sacramento nondum instituto, celebratis: atqui tamen pro-

nuntiat Christus haec conjugia nullâ autoritate humanâ dissolvi posse: *quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo Matrimonia, etiam à Sacramento sejuncta, sunt prorsus indissolubilia.

Præterea Matrimonium suam non à Sacramento, sed à legitimo contractu habet firmitatem. Nam Adami cum Eva conjugium erat omninò indissolubile, ut fatentur adversarii: atqui tamen cum Sacramento conjunctum non fuit; ergo Matrimonium suam à Sacramento firmitatem non mutuatur, ac proinde infidelium connubia legitime contracta, quamvis Sacramento destituta, nihilominus firmissima sunt.

Obj. 3<sup>o</sup>. Sic habet S. Chrysostomus: *Quid sibi vult illud, infidelis si discedit aut separatur? v. g., si te jubet sacrificare, aut sociam impietatis esse propter connubium, vel discedere, melius est dirumpi connubium, quam piam Religionem;* (*Hom. 19. in 1. ad Cor. tom. 10. pag. 163. edit. Bened.*) ergo, &c.

Resp. apud S. Chrysostomum non agi de propriè dicta vinculi conjugalis abruptione, verum de simplici quoad thorum & habitationem disjunctione. Hanc esse ipsius mentem satis demonstrant istae quae immediatè subjunguntur verba: *Si quotidie ea de causa pugnet, & bellum moveat, melius est separari; hoc enim subindicat (S. Paulus), cum dicit: In pacem autem vocavit nos Deus.* Loquitur ergo S. Doctor de separatione quae ad pacem retinendam sufficiat: atqui ad servandam pacem non opus est, nisi disjunctione quoad habitationem; ergo, &c.

Obj. 4<sup>o</sup>. Innocentius III Summus Pontifex sic pronuntiat: *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit & in hoc casu intelligimus quod ait*